

# Dekret des Apostolischen Nuntius in Deutschland betreffend Domkapitel und Circumscriprio der Diözese Aachen

Vom 31. August 1930

Kirchlicher Anzeiger für die Erzdiözese Köln vom 1. September 1930, S. 113 - 116

Die XIII. mensis currentis SS. in Christo Pater et Dominus Noster PIUS divina providentia PP. XI. ad dioeceses in Borussia ordinandas iuxta quae in Solemni Conventione seu Concordato inter S. Sedem et Statum Borussicum praeterito anno pacta fuerant, Apostolicam Bullam verbis „Pastoralis officii Nostri ...“ inchoantem edere eiusque me exsecutorem nominare dignabatur.

Cum autem praefata Bulla Apostolica ad Nos pervenerit, eamque rite a Notario confectam ac plumbeo sigillo munitam recognovimus, ipsam qua decet reverentia recipientes ac legentes, invenimus pro ea parte territorii, quae a Tua archidioecesi avulsa in novam dioecesim erigenda erit, tenoris sequentis: „Territorium ab Archidioecesi Coloniensi ... avulsum in novam erigimus dioecesim, quam a percelebri Aquisgranensi urbe Aquisgranensem nuncupari volumus. Haec nova dioecesis hos decanatus comprehendet: Aachen, Aldenhoven, Alsdorf, Blankenheim, Cornelimünster, Derichsweiler, Dülken, Düren, Erkelenz, Eschweiler, Gangelt, Geilenkirchen, Gemünd, Gladbach, Hasselsweiler, Heinsberg, Herzogenrath, Hochneukirch (excepta Paroecia Elfgem), Jülich, Kempen (excepta paroecia Tönisberg), Krefeld, Kronenburg (exclusis paroeciis Hallschlag, Ormont, Steffeln), Linnich, Lobberich, Mechernich (excepta paroecia Commern), Monschau, Nideggen, Nörvenich (exclusa paroecia Pingsheim), Rheydt, Steinfeld, Stolberg, Uerdingen (exceptis paroeciis Friemersheim et Kaldenhausen), Vettweis (exclusa paroecia Füssenich), Viersen, Wassenberg, Wegberg. Eadem insuper Aquisgranensi Dioecesi assignamus ... paroecias Berg, Bouderath, Disternich, Floisdorf, Nöthen, Sievernich, Vlatten ex Archidioecesis Coloniensis territorio avulsas, atque paroeciam Hinsbeck, quam propterea ex Dioecesis Monasteriensis territorio separamus. Hujus novae dioecesis sedem in urbe Aquisgranensi a qua dioecesis ipsa nomen mutuabitur, constituiimus, quam proinde ad civitatis episcopal fastigium extollimus, cum omnibus juribus et privilegiis, quibus ceterae episcopales civitates iure communi fruuntur. Cathedram vero Episcopi in ecclesia Beatae Mariae Virginis in Coelum Assumptae, in eadem urbe exstante, figimus, quam idcirco ad Ecclesiae Cathedralis gradum et dignitatem evehimus; ipsi ergo eiusque pro tempore Episcopis iura omnia ac privilegia concedimus, quibus aliae Cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi potiuntur, eisdem onera imponimus, quibus aliae Cathedrales Ecclesiae earumque Episcopi per orbem adstringuntur. Hanc autem novam dioecesim suffraganeam constituimus Metropolitanae

Ecclesiae Coloniensis, simulque Aquisgranenses pro tempore Episcopos metropolitico iuri Archiepiscopi Coloniensis subicimus. Capitulum vero collegiale, in urbe Aquisgrani extans, ad Capituli Cathredalis gradum et fastigium extollimus cum omnibus iuribus, insignibus et privilegiis, oneribus et obligationibus quae Capitulis Cathedralibus sunt propria; idemque unica Dignitate videlicet Praeposito, ac sex Canoniceis titularibus, quattuor Canoniceis honorariis et sex vicariis constituetur ...“

Quibus perfectis Nos mandata apostolica exequi volentes iuxta formam in ipsa Apostolica Bulla Dioecesim Aquisgranensem spectantibus hisce Nostris Litteris Te certiorem facimus ac ea omnia exequi mandamus. Ut autem executio ordinate procedat velit Eminentia Tua p<sup>r</sup>ae oculis habere quod Sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censentur in cuius territorio hodie legitime degunt. Pariter omnia documenta ac acta novas dioeceses vel dioecesis partes, earum clericos et fideles respicientia, quam primum ad eam dioecesim transmittenda erunt, ad quam iuxta praedicta iidem pertinebunt. Velit Eminentia Tua de acceptis hisce Nostris Litteris ac de praescriptis rite adimpleatis Nos quo citius certiorem facere ut suo dumtaxat tempore authenticum exemplar peractae executionis Apostolicae Bullae ad Sacram Congregationem Consistorialem mittere possimus.